

NON possum dissentire admodum à vestris Excell. quia omnia sapientissimè cogitata & ordinata sunt à vobis. Sed cum dignus sit iuuenis, in cuius curatione laboremus: vt loco meo etiam satisfaciam, dicam primò quæ videre & deprehendere possum sensu. Primùm temperatura ac habitus corporis, etsi tendit ad caliditatem & siccitatem, tamè non arbitror generatum sanguinem crassiore, quia morum optimorum & boni ingenij est, sed semper pronus ad iram, in qua tamen facilè placatur. Inde spiritus tenuior, & sanguis etiã subtilior ac calidior indicatur. Ex his etiam ingenium promptum ad omnes actiones, vt ostendit Aristot. 2. de Anima. Qui autem tales sunt, habent ventriculum frigidum, vel saltem frigidam intemperiem facilè acquirunt, quia resoluuntur, & nõ possunt contrariis resistere, propter subtilitatem spirituum. Hic deliquit in cibo, potu, & animi accidentibus, quæ resoluunt valde, ita vt residentia postea sint crassiora seipsis. Inde venter debilitatus non concoquit, & hepar calidum facit sanguinem crassiorum, vnde sequuntur status hypocondriaci. 3. de Locis affectis. Est enim hæc passio feruor quidam circa venas mesaraicas, qui oritur cum ventriculus non rectè cõcoquit, & cibus non coctus perfectè, sed crudior ad hepar defertur: & fit ebullitio quædam, & motus præter naturam, ex quo eleuantur vapores, reddentes spiritus obscuriores primò: & postea cum augètur secundum proportionem, & acres fiunt ob adustionem, faciunt varios affectus, quales solent habere, qui corruptam habent imaginationem, secundum rationem vaporum ascendentium. Ideo rident, & lætantur, nunc irati alios percutiunt, sicut omnia contigerunt in hoc iuvene. Primò quidem ex ratione victus & leui timore, qui auctus postea venit ad melancholiam, nec puto à capite hanc ortam. Non enim in eo principaliter est affectus, sed primam causam credo esse ratione vaporum ascendentiũ à partibus hypocondriorũ. Cæterum quia abundat sanguine cholericò, est valde afflictus animi accidentibus molestissimis. Inde aucta humorum adustio, & tota quasi massa sanguinis adusta, tandem in ambitu venarũ propter exercitia, accidentia animi, rixas, malam rationem victus, vigiliis, ambulationes nocturnas, multiplicatus humor melancholicus per aliquam adustionem. Nec puto esse propriè faciem sanguinis, quia nõ est eã inestitia, quæ fit ex toto corpore refrigerato propter abundantiam facis sanguinis: sed semper quasi hilaris, nisi quòd interdum propter adustionem humorum sequuntur alia accidentia sæuiora. Iudico igitur, omnes rationes ad duo referendas: ad vapores ascendentes ex hypocõdriis, facientes melancholiam, vel myrachialè, & ad vapores ascendentes ex sanguine adusto à toto ambitu venarum facientes varia symptomata pro ratione variæ adustionis. An caput afficiatur quæredum. Non mirũ pati illud, cũ maximè recipiat vapores, cumq; sit perpeffus tot sæua accidètia tamdiu. Nõ enim aduimus à principio, sed malum multò ante præcessit: vt requiratur iam in curatione magna diligentia. Duo autem maximè necessaria sunt:

A Medici diligentia & cura, hocque instrumentum non deerit. Secundò, vt æger se præstet obientè oportet, & vt omni modo obsequatur, alioqui frustra erunt omnes conatus. Requiritur tamen & assidentes commodi, qui administrent res, ita vt sunt ordinatæ: quæ vbi omnia rectè perficiuntur, speramus illum rediturum ad sanitatem. Habet cerebrum tales operationes, ex quibus lumè ingenij apparet. Adest memoria omnium præteritorum, in quo maximè spero: quia memoria est ex iis, quæ consideramus in intellectu. Ergo non ita valde corrupta est quoq; imaginatio, cum feruetur omnium memoria. Nõ enim est tanta perturbatio, quin ibi etiam sit aliqua lux, sicut aqua etiam, dum accipit aliquam imaginem, non est vltimè perturbata. Est ergo signum quod possit curari.

Cura. Nemini dubium est, si volumus curare nobiliss. iuuenem, debere hæc fieri. Primò, humores adusti multiplicati circa ventericulum, & in toto ambitu venarum exquisitissimè euacuandi. Secundò, prouidendum ne noui generentur. Tertiò, humectandum corpus, quod præcipuum est in omnibus patientibus affectus melancholicos: & hoc maximè considerandum iis, qui eos curant. Primò humor euacuabitur iis, quæ rectè humorem ducunt: in hoc præcipuè animaduertendũ, vt non exhibeamus tantum confectionem hamech aut pillulas cocchias, cum elleboro, quia euacuat pituitam potius, quàm melancholiam: sed vtamur etiam quæ melancholiam educunt: vt decocto Myrobal. Senæ, Epithymo, Elleboro. Cocchias verò cum Elleboro solas si dederitis, ad 3. j. vel etiam 3. j. s. tantum erit in illis Ellebori, vt vix pulicem euacuare possit, præterquam quòd maximum sit impedimētum, simul pituitam & melancholiam euacuare. Nam in transitu vnus humor impedit alium, & pituita obstruit meatus, vt postea hæreat humor melancholicus, & creet deteriora accidentia. Quare ego hac ratione motus. **E** Cocchias cum Elleboro nõ approbo. Primò autem pituita euacuanda exquisitissimè, & postea melancholia poterit commodè educi. Pituita igitur concoquerè syrupis, & euacuare exquisitè. Amara æger respuit, sed si componatur agaricus cum trochiscis Alahandal in forma pillularum, & deurentur, acciperet. Syrupus fiat ex præparantibus, vt oxymelle, cichorio & aliis. Postea factis euacuationibus, accederem ad balnea aquæ dulcis, propter humectationem. Deinde concoquerem **F** humorem melanch. qui non potest melius cõcoqui, quàm cum rebus mediocriter calefacientibus, & humectantibus, quod facere solent aquæ dulces, quæ etiã aperiunt vias, vt fiant latiores, & implebunt etiam secundum & tertium, vt humectentur totũ corpus, & ne generentur humores acres, & adusti. Videtis igitur quas vtilitates habeant, vt non malè dixerit Gal. solis balneis aquarũ dulcium se multos melancholicos curasse absq; medicamento alio. Postea per interualla certa exhibere elleborum in sufficienti quantitate, ita vt in singulis exhibitionibus essent ʒ. ij. corticum ellebori præparati, & fieret decoctum myrobal. quibus adderè quædam corroboratã membra principa-

Balnea aquæ dulcis
laudat